514 6

IN MARCI TVL. CIC. Partitiones Oratorias annotationes collectæ ex prælectionibus Audomari Talæi.



1872

CVM PRIVILEGIO.

LVTETIAE,

Ex typographia Matthæi Dauidis, via amygdalina, ad Veritatis inſigne.

1551.

DE NOMINE, ET DEFInitione Rhetoricæ.

RHETORICA duobus modis intelligitur, vno, vt ſit ars vnius cuiuſdam generis, cuius præcepta à cæterarum artium præceptis ſeparentur, qualia ſola ſunt elocutionis & pronuntiationis: altero, vt ſit facultas ciuiles controuerſias explicandi: cui facultati nõ ſolùm Rhetorica vera in elocutione & pronuntiatione, ſed tota Dialectica in inuẽtione, diſpoſitione, memoria, & Grammatica, & omnis Philoſophia neceſſaria eſt: nec vna eſt doctrina ſingularis, & propriæ cuiuſdam naturæ finibus comprehenſa, ſicut ſunt aliæ artes, ſed ex omnibus maximis artibus cumulata quædã copioſè loquens ſapientia. Rhetores tamen qui Rhetoricã nobis tradiderunt, neutro genere abſolutè tradiderũt: neque enim ſeorſum elocutionis & pronuntiationis artes explicarunt: neque docuerunt omnes artes, ex quibus ciuilis illa & politica dicendi facultas cõſtaret: ſed ex Dialectica & Rhetorica præcipuè diſciplina confuſionem quandam artium pepererunt.

De origine Rhetoricæ artis.

Primi & antiquiſſimi Rhetores, vt controuerſiarum ciuilium formulas & actiones inſtruerent, breuia quædam monita de iudicio, demonſtratione, & deliberatione propoſuerunt, cuius doctrinæ maxima pars erat inuentionis, de ſpecialibus argumentorum locis: nonnulla etiam elocutionis, diſpoſitionis minima, memoriæ & pronuntiationis nulla: atque hæc prima ars Rhetorica fuit falſò & alieno titulo inſcripta: pragmatica enim aut forenſis potius appellari debuit.

deinde cùm animaduerſum eſſet in ſingulis generibus cauſſarũ ineſſe exordia, & narrationes, & contentiones, & perorationes, facta eſt altera Rhetorica ars de partibus orationis, quæ quæſtionum earũ communis eſſet, in qua loci inuentionis præcipuè traderẽtur. Poſtremò generalis inuentionis, & diſpoſitionis, & elocutionis, & memoriæ, & actionis deſcriptio facta eſt, atque hæc tertia Rhetorica fuit: quam tripertitam artium rhetoricarum varietatem Cicero hoc libello complectitur, alio tamen ordine atque inuentæ fuerunt: nam à generalibus ad medias, & à mediis ad magis ſpeciales deſcendit, methodo quidem Dialectica, ſed iudicio & ſyllogiſmo parũ Dialectico: nã primùm de quinque partibus generalibus & vniuerſis duæ ſolæ Rhetoricæ artis propriæ ſunt, elocutio & actio, quia ſolæ bene dicendi virtutes ſunt: inuẽtio, diſpoſitio & memoria dialecticæ ſunt, & mentis ſola ratione continentur, & exerceri ſine vllo linguæ aut orationis commercio poſſunt: quare primùm in hac artium cõfuſione ſyllogiſmus defuit, qui ſi adhibitus fuiſſet, in Rhetoricis præceptis Dialectica non conturbaretur: deinde cùm prima pars huius artis generalem quandam doctrinã polliceri videatur, diſpoſitionis tamen nullas communes omniũ quæſtionũ leges tradit. Poſtremò cùm vna generalis argumentorũ explicatio omnibus quæſtionibus infinitis, & partibus orationis, & generibus cauſſarum (ſicut vna elocutionis & pronũtiationis & memoriæ doctrina) non ſolùm abũdè, ſed etiã facilè ſatis faceret, tamen viginti ac etiã plures argumentorũ inueniendorũ artes ſpeciales præterea factæ ſunt, vt inuentio exordij, inuẽtio narrationis, in confirmatione inuentio coniecturæ, inuentio definitionis, inuentio qualitatis, in refutatione inuentio aduerſus teſtes, inuentio aduerſus quæſtiones, in quæſtione finita inuentio laudis ex tribus generibus bonorum, & vituperationis ex contrariis generibus malorum, inuentio ſuaſionis ex locis facultatis, vtilitatis, honeſtatis, in iudicio inuentio coniecturæ, inuentio definitionis, inuentio qualitatis ad accuſandum, itémque inuentio coniecturæ, inuentio definitionis, inuentio qualitatis ad reſiſtendum, in ſtatu legali inuentio ſcripti ambigui, inuentio ſcripti & voluntatis in vtranque partem, inuentio ſcriptorum cõtrariorum: in qua ſpecialium inuentionũ multitudine præcipua eſt huius rhetoricæ & fo-

renſis diſciplinæ perturbatio. Nec verò contrà valere debet Ciceronis in ſecundo Oratorio authoritas exiſtimantis has varias artes variis ætatibus accommodari, vt pueris adhuc rudibus puerilis & minuta doctrina de generibus cauſſarum & partibus orationis tradatur, quia ſit facilior, confirmatis iam & liberaliter inſtitutis vniuerſa generalium locorum doctrina proponatur, quia tum ſit vtilior: huic enim authoritati multis argumentis reſiſtere licet: primùm, quia ſicut non eſt opus facere tot artes elocutionis & pronuntiationis, quot ſunt genera cauſſarum, & quot ſunt partes orationis, quia generalia præcepta elocutionis ad quiduis ornandum, & pronuntiationis ad quiduis pronuntiandum ſufficiunt: ita, poſteaquam reperta fuit doctrina generalis argumentorum, non fuit opus ſpeciales inſtitutiones locorum tradere, quia generalia præcepta de argumentis, omnibus tractandis, & explicandis quæſtionibus cõueniunt: deinde ſpeciales loci in generibus cauſſarum, & partibus orationis vel generales ipſi ſunt, & iiſdem nominibus ſæpe appellãtur, vt cauſſæ, facta, ſimilia, diſsimilia, circunſtantiæ, definitio, teſtimonium: vel ſunt ex his paululum immutati, & alterati, nec quidquam efficiunt, quod loci communes melius & abundantius non præbeant. Poſtremò generalis inuentio argumentorum pueris & rudibus erit & ad intelligendum facilior, & ad diſputandas quæſtiones ciuiles & non ciuiles potior & vtilior: facilius eſt enim pauca argumentorum genera percipere, & cùm de re aliqua diſſerendum ſit, animo & cogitatione peragrare, quàm multas conciſas & perplexas artes vel intelligere, vel perluſtrare, & ad vſum diſputationis accommodare. quamobrem vt vera ſint hæc partitionum oratoriarum præcepta, tamen à Rhetorica arte legitima & propriam aliquam naturam habente omnia ſunt, exceptis pauculis verſiculis de elocutione & actione, prorſus aliena: in Rhetorica autem forenſi quæ dicuntur de partibus orationis, & generibus cauſſarum, ſuperuacua & inutilia ſunt, vt à nobis probatum eſt, quia generalibus præceptis facultatis Oratoriæ continentur.

De inſcriptione libri.

Hic liber eſt inſcriptus de Oratoria partitione, quia doctrinam Rhetoricam perpetua ſerie diſtributionum per ſumma, media, & infima genera explicat: & quia nudè & inornatè tractatur, ſuas diſtributiones magis oſtentat, quàm reliqui Ciceronis de arte Rhetoricæ libri: ſunt enim hæ velut deſcriptæ breues tabulæ rerum Oratoriarum.

De ratione dicendi Græcè tradidiſti.

Rhetoricæ partitiones prius à Cicerone Græcè meditatæ ſunt, quanuis tantùm Latinè legantur: & ſic vtraque lingua Cicero quædam ſcripſit, vt commentarios de Conſulatu ſuo: nam ſi filius ea Latinè ſtudet audire, quæ pater antè tradiderat, & iiſdem de rebus patrem interrogare, de quibus à patre fuerat interrogatus, videtur pater eandem rationem præceptionum Græcè ſi non ſcripſiſſe, ſaltem meditatus fuiſſe.

Quot in partes.

Cicero vim Oratoris vocat κατ᾽ ἐξοχὴν, quòd præcipua facultas Oratoris in hac arte generali conſiſtit, in qua reliquæ artes orationis & quæſtionis continentur: atque hæc tria nomina, vis, oratio, quæſtio, τεχνικῶς accipiuntur pro præceptis generalibus facultatis Oratoriæ, & ſpecialibus præceptis orationis & quæſtionis.

In quo eſt ipſa vis?

Inductio Ciceronis, qua colligit partes facultatis Oratoriæ, vitioſa & fallax eſt: non enim vis Oratoris in inuentione, diſpoſitione, & memoria cernitur: hæ ſiquidem virtutes Dialectici ſunt, non Oratoris veri & legitimi, qui omnem vim ſuam exercet in elocutione & pronuntiatione: nec ſi in vna & eadem oratione multæ virtutes inſunt, idcirco eloquentiæ & Oratori protinus attribuendæ ſunt

omnes, & non potius ſingulis artibus, à quibus inſtruitur oratio, vt Grãmaticæ puritas, Dialecticæ acumen, Rhetoricæ ornatus: quemadmodum enim ad ædificandam domum multis artificibus opus eſt, latomis, fabris lignariis, & ferrariis: ſic ad ædificandum orationis opus multæ artes communiter aliquid impertiunt. At non poteſt (inquies) forenſis Orator bene dicere in foro & cauſſis ciuilibus ſine inuentione, diſpoſitione, & memoria. Concedo, ſed ſi tu propterea putas has eſſe partes eloquentiæ, eodem argumento dices Grammaticam, Philoſophiam, & multas alias artes eloquentiæ partes eſſe, quia ſine his Orator controuerſias ciuiles agere non poſſit: quæ igitur cauſſa eſt, vt doctrinam argumentorum Rhetoricæ partem facias, doctrinã grammaticam, doctrinam moralem, doctrinam politicam, doctrinam phyſicam eiuſdem Rhetoricæ partem non facias?

Quoniam igitur, &c.

Inuentio, id eſt generalis doctrina inueniendorum argumentorum non eſt pars Rhetoricæ, ſed Dialecticæ, vt vel ipſe Cicero teſtis eſt in Topicis: itaque cùm nunc ait primùm eſſe Oratoris inuenire, confundit duas artes Dialecticam, & Rhetoricam, & authoritate veterum deceptus non ſatis animaduertit, quid vniuſcuiuſque proprium legitimúmque ſit: enimuero vt in prædiis, ſic in diſciplinis iuſtitiæ ſancta lex eſſe debet, quæ iubet ſuum cuique tribui: At Dialecticus legitimus eſt poſſeſſor rationis, quam exercet in inuentione & diſpoſitione rerum, quemadmodum Grammaticus eſt legitimus poſſeſſor congrui ſermonis, & Orator ornatæ dictionis: Vt igitur facultas inueniendi Dialectico, ſic doctrina de inueniendis argumentis Dialecticæ arti tribuenda eſt: hæc itaque à Rhetoricis præceptis remoueatur, & Dialecticæ reddatur. Nec verò doctrina inuentionis ſolùm ſuo loco non traditur, ſed etiam non omnino legitimè traditur. Prima enim partitio in inuentionem fidei & motus vitioſa eſt: quia vna & ſola eſt generalis & communis omnium rerum inueniendarum doctrina: & motuum deſcriptio, qualis libro ſecundo de Oratore traditur, tota ethica & moralis eſt ex affectuum deſcriptione: quæ verò

in his partitionibus explicatur, partim ex elocutione, partim ex inuentione fidei ſumitur.

Quibus rebus fides fit.

Inuentio fidei declaratur diſtinctione locorum & argumẽtorum: ſed quæ dicuntur de locis, arguta magis ſunt, quàm perſpicua, aut vera: veluti argumenta duci ex locis: locos enim per metaphoram appellat præcepta de argumentis, quæ nos admonent, vt ex omnibus argumentorum generibus quæramus aliquid, quod de re propoſita dici poßit: & locos ipſos partitur in eos, qui inſiti ſunt in re ipſa, & in aſſumptos: non rectè, neque verè: quia loci, id eſt præcepta inuentionis non hærent in ipſa quæſtione, nec extrinſecus aſſumuntur, ſed ipſa argumenta, quibus vtimur ad probandam vel improbandam quæſtionem: neque hoc poteſt excuſari, quaſi locus dicatur per metonymiam pro argumento: nam ſi ita eſſet, paulò pòſt argumentum non diuideretur in inſitum & aſſumptum: eſſet enim nugatoria & inutilis iteratio. Deinceps argumentum definitione & diuiſione explicatur: definitur inuentum, probabile ad faciendam fidem, id eſt excogitata probatio idonea ad faciendum, vt quis credat his, quæ dicimus, hæc vera putet, his aſſentiatur: diuiditur in inſitum & aſſumptum: quæ diuiſio ex Ariſtotelis primo libro ad Theodectem ſumpta eſt, & nominibus quidem rectè diuiditur, definitionibus autem non rectè, quemadmodum docuimus libro ſecundo Oratorio, & in Topicis Ciceronis, & primo libro Dialecticarum inſtitutionum.

Alia ex antecedentibus, alia ex conſequẽtibus.

Hæc duo argumentorum nomina non ſunt, ſed potius argumentationum: antecedentia enim ſignificant ſyllogiſmum connexum primi modi, & conſequentia ſyllogiſmum connexum ſecundi modi.

Vt definitio.

Hic locus duobus modis explicari ſolet, vel quòd captioſi & fal-

laces argumentorum loci veris & legitimis ſubiiciantur, vel quòd tanquam exempla deſcriptis argumentorum generibus adhibeantur: ſiue tamen hoc, ſiue illud ſequare, tota iſta repetitione topica ars carere poterat, nec in Topicis, & in Oratoriis libris hæc locorum à Cicerone repetitio facta eſt.

Omnibúſne igitur ex locis.

Argumenta inuenta delectum quendam poſtulant, ſic, vt ſumendis bonis & probis vitioſa & improba reiiciantur. Virtutes autem & vitia argumentorum dignoſcuntur per topicas leges inuentionis: nam proba eſt definitio, quæ conuenit regulæ definitionis, & vitioſa, quæ non conuenit: eadémque eſt ratio de cæteris generibus. In vitioſis numerãtur leuia, quæ minimum habẽt pondus ad faciendam fidem, ſic vt penè argumenta non ſint, quia ferè nihil arguant: numerantur communia, quibus accuſator & reus vti poſſint, atque etiã damnantur per regulam, id eſt definitionem argumẽti, quia vix idonea ſunt ad faciendam fidem: numerantur & non neceſſaria, & ſimili ratione in delectu reiiciuntur.

Cùm inueneris collocare, &c.

Quemadmodum inuentionis ad omne argumentum reperiendum, ſic diſpoſitionis ad quiduis collocandũ generalis doctrina tradi poterat in legibus ſyllogiſmi & methodi: quod Cicero nõ animaduertit: itaque doctrinã diſpoſitionis variè ſecuit, vt ſingulis quæſtionum generibus propriam quandam viam & rationẽ ordinis accommodaret: diſpoſitionem nullam in vniuerſum demonſtrauit: quinetiam eum ſecutus Quintilianus lib. 7. affirmat generalem tradi non poſſe.

Nam eſt in propoſito finis, fides.

Hoc ſimpliciter intelligendum non eſt, ſed quòd præcipuè in theſi habeatur ratio rerum, quæ docendæ ſunt, nõ etiam perſonarum, quæ mouendæ ſunt: quod verò propoſitum non ſit in cauſſa, & idipſum nõ ſatis acutè dicatur à Cicerone, docuimus in explicãdis eius Topicis.

Expone deinceps quæ ipſius orationis, &c.

Cicero de elocutione plurima attingit, quæ elocutionis non ſunt, & in verbis ſingulis & in cõiunctis, & multa præterit, quæ elocutionis ſunt, vt genera figurarum. Elocutio autem eſt orationis exornatio, & mutatio à vulgari conſuetudine ad elegantiorem quendam dicendi modum. prima eius diuiſio in ſponte fuſam & conuerſam ſumitur ex communibus adiunctis: genus elocutionis ſua ſponte fuſum, vt ait Cicero, ſpectatur in verbis ſingulis & coniunctis: quæ diuiſio falſa quidem non eſt, ſed inelegans: ſumitur enim ex ſubiectis elocutionis, cuius primæ & veræ ſpecies ſunt tropus & figura, in quas potius diuidi debuit.

Et ſimplicia verba.

Hæc ſingulorum verborum diuiſio grammaticæ artis eſt, non rhetoricæ elocutionis.

Atque etiam eſt hæc diſtinctio, &c.

Hæc ſecunda diuiſio habet aliquid rhetoricum in verbis ſonantibus & nitidis: hæc enim in numero ſpectanda ſunt: & in verbis modificatis: hæc enim ad troporum rationem referenda ſunt.

Tractatione autem.

Hæc diuiſio Grammaticæ etymologiæ eſt, & parum conuenit, quia in primo genere ſecundum, tertium & quartum contineri poſſunt: poteſt enim nomen proprium additum eſſe ad nomen, aut nouum, aut priſcum. Atque hæc verborum genera rhetoricæ conſyderationis non ſunt, ſed Grammaticæ.

Ex quibus abutimur.

Diſtinguit à trãſlatione κατάχρησιν, ἀλληγορίαν, ὑπερβολήν· *qui tamen Tropi recidunt in tranſlationẽ, quia ex ſimili ſimile ſignificãt.*

Numeri quidem in coniunctione.

In coniunctis verbis duæ laudes ponuntur, numerus, & conſecutio verborum: numerus laus eſt elocutionis Oratoriæ, & in figuris

verborum continetur, quia ſuauis eſt, & modulata verborum conformatio remota à vulgari dicendi conſuetudine: conſecutionis autẽ præcepta grammaticæ artis ſunt, non rhetoricæ.

Communia autem ſimplicium, &c.

Quinque virtutes, breue, dilucidum, probabile, illuſtre & ſuaue magnæ quidem ſunt in dicendo, ſed non propriæ elocutionis: quia communiter ex grãmaticis, rhetoricis, & dialecticis legibus efficiuntur. Vt igitur oratio opus eſt multarum artium, ſic hæ quinque virtutes orationis multarum artium facultate continentur.

Ex verbo.

Hoc Dialecticum eſt ex loco definitionis, cùm pro nomine definitio ponitur, aut contrà.

In coniunctis autem verbis.

Legendum videtur eſſe (non verborum tantummodo, ſed ordinis) quia Cicero paulò antè dixit hoc totum genus orationis conuerſæ ſitum eſſe in cõmutatione verborum: ſi verò ordinem verborum, vt nobis imperant Ciceronis interpretes, commutemus tribus modis dicendo directè, inuerſè, & permiſtè, ridiculum & vitioſum ſæpe fuerit, quia ad nihilum omnia plerunque recaſura ſint: nam ſi directus ordo probabitur, inuerſus atque intercijſus improbabitur, & ex oratione apta & numeroſa diſſolutæ ſcopæ exiſtẽt, vt rectè docet Cicero in Oratore ad Brutum. Cicero igitur videtur potius commendare rhetoricam exercitationem duplicem: vnam in verborum, alteram ordinis cõmutatione: verborum, cùm eadem res & ſententia variato genere verborũ pluribus modis dicitur: ſic enim Cicero cum Roſcio hiſtrione ſeſe exercuit, cùm inter eos nobile certamen eſſet, vtrum hiſtrio mutatis perſonis eandem orationẽ pluribus modis voce & geſtu variare, an Cicero eãdem rem pluribus modis exprimere atque exornare poſſet. Ordinis autem cõmutatio tota dialectica eſt: & quæ dicuntur à Cicerone de triplici ordine, ſpectantur in partibus ſyllogiſmi, vt interdum directè dicatur primùm proponẽdo, deinde aſſumẽdo, & ad extremũ concludendo: aliàs inuerſè, vt concluſio primum ſit, deinde

aſſumptio,poſtremo loco propoſitio: aliàs permixtè, vt aſſumptio prima ſit, ſecunda propoſitio, tertia complexio: cuius varietatis exempla in orationibus Ciceronis paßim reperies. Atque amplius in hac elocutionis conuerſione ſpectandum illud eſt, quod à Cicerone non præcipitur, vt non tantùm verba, aut ordo rerum mutetur, ſed etiam genera figurarum.

Actio igitur ſequitur.

Actionis doctrina de voce & geſtu proprium habet in arte Rhetorica locum, & generales monitiones variandæ vocis, cõformandique geſtus requirit, quales traduntur à Craſſo lib.3. de Oratore.

Nihil ſanè præter memoriam.

Memoriæ doctrina ſi qua eſt, dialecticis regulis ſyllogiſmi & methodi continetur: vt ſi ſententiam aliquam ſyllogiſmo cõprehenſam velis ediſcere, ordinem partium intueare, ſi orationem legibus dialecticæ methodi diſpoſitam memoria complecti velis, animũ reuoces ad ordinem ſingularum partium: ars autẽ memoriæ ſi rectè & vtiliter in locis & imaginibus traderetur, non ineptè conferretur literaturæ: ſed cùm vana & inutilis ſit iſta locorũ & imaginũ deſcriptio, ſicut Fabius lib.11. rectè affirmat, & probat, vana ſimiliter & inutilis eſt iſta ſimilitudinis comparatio.

Quoniam igitur, &c.

Hactenus expoſita eſt Rhetorica generalis in quinque partibus, quarũ tres non falſis quidem omnino præceptis, ſed permultis tamen, vel alienis ab artificio Rhetorico, vel non valdè vtilibus explicãtur inuẽtio, diſpoſitio, & memoria: reliquæ duæ Rhetoricæ artis propriæ ſunt, elocutio & actio: ſed in elocutionis præceptis multa aliena, & non Rhetorica confunduntur, & multa Rhetorica prætermittuntur. Sequitur pars altera Rhetoricæ de quatuor partibus orationis: quæ diuiſio vt vera ſit, non tamen ex tota & vniuerſa Rhetoricæ vi ſumitur, ſed ex Dialectica methodi diſciplina: exordium enim rem ſummatim proponit: narratio planius explicat: contentio confirmando vel infirmando per partes exequitur: peroratio ad extremũ concludit:

qui ordo in orandis cauſsis ciuilibus Dialecticæ methodi leges & veſtigia ſequitur. Quod attinet ad præcepta de ſingulis partibus orationis, ea nihil aliud ferè ſunt, niſi ſpeciales quidam loci ſub generalibus comprehenſi, vel generales ipſi ſæpius iterati, & ad certas partes orationis quæſtionúmque ciuilium materias applicati: in quibus tradendis idcirco primi Rhetores elaborarunt, quia generalem argumentorum doctrinā & omnibus quæſtionibus explicandis cōmunem inueniri aut doceri poſſe non putabāt: & alij deinceps cōſecuti, cùm reperti & demonſtrati eſſent vniuerſi fontes argumentorū, è quibus omnis ratio & diſputatio manaret, his non contenti, riuulos ſpecialium rationum conſectati ſunt duabus de cauſsis, & ne quid de antiquorū inuentis & inſtitutis prætermitterent, & quòd hæc minutiora præcepta ad inſtituendos rudes pueros faciliora & vtiliora eſſe crederēt. quarum quidem cauſſarum, altera non admodum grauis eſt, ſic videlicet præcipere, quia ſic antea præceptum eſſet: altera, ſicut initio diximus, planè falſa: quia generalis argumentorū doctrina, vel pueris ipſis multò & ad diſcendum facilior, & ad vſum potior erit.

Faciam & à principiis.

Præcepta de initiis ad tres initiorum virtutes referri ſolent, beneuolentiam, docilitatem, & attentionem: quæ, vt ait Antonius libro ſecundo de Oratore, reliquarum partium orationis cōmunes ſunt: ſed quia diligentius & euidentius in principiis cauſſarum conſeruantur, his quaſi propriæ attribuuntur.

Quorum primus.

Ad conciliandam beneuolentiam, aut creandum odium præcipuus eſt locus dialecticæ inuentionis ex genere adiunctorum, quia tum præcipuè valet in perſonis virtutum aut vitiorum ſignificatio: rationes verò beneuolentiæ aut odij ex philoſophia morali, nō ex Rhetorica forenſi diſcendæ ſunt.

Intelligenter autem.

Hæc prima ſunt dialecticæ methodi capita, rem proponere, & definire, & ita diuidere, vt & paucis, & ſuo ordine diſpoſitis partibus proſequare.

Quid in narratione.

Narratio definitur rerum explicatio, & diſtinguitur ex quatuor adiunctis virtutibus, breuitate, claritate, fide, & ſuauitate, de quibus nulla eſt propria narrationis: ſed hæ reliquarum partium communes ſunt: quinetiam breuitas in narrando, nec Ariſtoteli ad Theodectem, nec Antonio apud Ciceronem valdè placet. Deſcribere autem locos ſpeciales inuentionis ad eas explicãdas virtutes nõ magis fuit neceſſe, quàm facere ſpeciales locos diſpoſitionis, ſpeciales locos elocutionis, ſpeciales locos actionis, ſpeciales locos memoriæ: vt enim cõmunes leges earũ artium: ſic cõmunia præcepta inuentionis omnibus orationis virtutibus inſeruiunt. itaque vt ad narrandum breuiter, perſpicuè, probabiliter, ſuauiter nõ deſcribitur ſpecialis diſpoſitio, aut elocutio, aut memoria, aut actio: ſic neque ſpecialis inuentio tradi debuit.

Nempe ea ſequuntur.

Tertia pars ciuilis orationis definitur, quæ facit fidem cauſſæ, id eſt quæſtionis controuerſæ: de qua præcipuè agitur, & in duas partes diuiditur, confirmationem & refutationem. Confirmationis tres inuentiones explicantur accommodatæ ad tria genera quæſtionum, an ſit, quid ſit, quale ſit: vbi nulla inuentio locorum præter illam generalem docetur, ſed loci generales nominatim repetuntur, vt in coniectura, cauſſæ, facta, adiuncta: in definitione modi faciendæ definitionis: qualitatis verò diſputationem totam ex locorũ generalium deſcriptione ſumendam eſſe Cicero admonet.

Aut totum eſt negandum.

Refutationis duæ ſunt partes, vna argumenti, altera argumentationis. argumenti, ſi falſum, aut fictum, aut dubium fuerit: argumentationis, ſi in conſequens ſit. Plura in argumento vitia reprehẽdi poſſunt, vt ſi alienum ſit, vel ſi ambiguum.

Argumentationem quærere videris.

Includitur per digreſsionem argumentationis quædam doctrina, quid ipſa ſit, & quæ eius genera. Explicationis autẽ nomine intellige

firmam & illuſtrem argumēti collocationem cum partibus quæſtionis, unde ipſa quæſtio concluditur ad cuius collocationis conſtantiam nihil refert utrum non dubia, an dubia ſumantur, quia ex falſis ſyllogiſmus conſtans & legitimus eſſe poteſt: ſed ad tollendam dubitationem propoſitæ quæſtionis, multum refert: quia niſi propoſitio & aſſumptio ſint aut certæ, aut ſaltem probabiles, non licebit quicquā vel certò, vel ſaltem probabiliter de quæſtione ſtatuere & iudicare.

Argumentandi autem duo ſunt genera.

Hæc partitio ſumitur ex effectis argumentationis, quæ aliàs docet tantùm, aliàs etiam mouet. Vera autem argumentationis genera ſunt ſyllogiſmus ſimplex, & ſyllogiſmus coniunctus, quorum artem hîc Cicero minimè exponit.

Illa autem altera.

Argumentatio inflexa ad motum poteſt explicari directo, inuerſo, & permixto ordine, nec ordo partium quicquam adiuuat motum, vel impedit.

Quæ ſunt illa quæ ſine arte, &c.

Definitio probationum inartificialium falſa eſt, ut ſæpe aliàs in dialecticis inſtitutionibus, in Topicis Ciceronis, & in Oratoriis dialogis docuimus. Id enim ars Topica parit, de quo admonet, & præcipit: At de teſtimoniis & teſtimoniorum generibus præcipit, non ſecus ac de argumentis inſitis: nec etiam teſtimonia ſemper ad Oratorem foris deferuntur, ſed interdum ab eo & inueniuntur, & tractantur, ut verſus poetarum, dicta ſapientum, ſenatuſconſulta, leges, præiudicia.

Nam de toto genere teſtium.

Docet duplicem refutationem teſtium, unam generalem ex collatione ſimilium, & diſsimilium. alteram ſpecialem contra ſingulos teſtes, ex eorum adiunctis, & collatione maiorum.

Sæpe etiam quæſtionibus.

Docet refutationem tormentorum ex perſonarum adiunctis, imbecillitate, amore, robore, odio.

Extrema tibi pars reſtat.

Perorationi duæ partes ſubiiciuntur, amplificatio & epilogus: Amplificationis doctrina partim ex generalibus præceptis repetitur elocutionis in genere verborum ſingulorum, & cõiunctorum: actionis in voce & geſtu, inuentionis in conglobandis argumẽtis eiuſdem generis, partim ſpecialibus monitis inſtruitur: res enim magnæ & ad augendum accommodatæ diuiduntur bifariam, vt aliæ natura magnæ ſint, vt mirabilia opera Dei: aliæ vſu, vt charitas, amor, honeſtas. quarum rerum tractatione variè permouentur hominum mentes in laudationibus, ſuaſionibus, & iudiciis: quibus ſingulis proprij & diſtincti motus reſpondent: ex quo intelligi poteſt amplificationem, ſicut cæteras partes orationis, non vnius artis propria, ſed multarum artium communi opera conſtare.

Quoniam & de ipſo oratore.

Siqua eſt doctrina quæſtionis, eam totam Dialectica ſibi ſuo iure vendicat, quæ ſola ad explicandam quæſtionem omnia conſilia inuentionis, omnem prudẽtiam ſyllogiſmi, omnem perſpicuitatem methodi refert: Rhetorica legitimè deſcripta præceptis elocutionis & actionis, artem quæſtionum, vt à ſe alienam repudiabit: neque tamen Dialecticus iſto modo, quo Rhetores, de quæſtione præcipiet, duas eius ſpecies, theſim & hypotheſim, & vtriſque certas aliquas ſpecies ſubiectas eſſe, & ſingulis proprios locos & inuentiones proprias conuenire: ob id enim quæſtio ſic primùm diuiſa fuit à Rhetoribus, & ſpeciales argumentorum propoſiti loci, & ad certa genera quæſtionum accommodati, quòd hi non videbant, ſicut antè diximus, vnam generalem argumentorum doctrinam tradi poſſe, quæ omnibus tractandis quæſtionibus conueniret: quam tamen Græci tandem inuenerũt, & docuerũt, & Cicero ab illis acceptã Latinè tranſtulit. Cùm igitur generalis & communis, id eſt perfecta & vera inuentionis ars exti-

tiſſet, conſequens erat, vt antecedentes artes de propriis argumentorum locis, & de generibus quæſtionum de medio tollerentur, quia vna inuentio ſufficeret, & ſublato fine earum ſpecialium inuentionum, inuentiones quoque ipſæ ſpeciales tollendæ eſſent, quia ſublata cauſſa, tollitur effectus. In eo itaque Cicero cum Græcis lapſus eſt, qui ad repertam & explicatam generalem argumẽtorum doctrinam, & ſectiones quæſtionum, & ſpeciales tot inuentiuncularum locos accumulauerit. Ad ſcientiam autem & vſum dialecticæ artis docere oportet duas eſſe partes quæſtionis, antecedentem & conſequentem, & illam minorem, hanc maiorem à Dialecticis appellari, ſine qua doctrina neque genera argumentorum, neque regulæ ſyllogiſmorum facilè tradi vel intelligi poſſunt.

Et earum quidem forma.

Quæſtio finita plures habet ſpecies, quàm tres: ſed ea tantùm diuiditur, & præceptis artis informatur, circa quã olim Græci & Romani Oratores & cauſidici præcipuè verſabãtur, qui vel otij aut delectationis gratia laudationes & vituperationes ſcirptitabant, atque etiam interdũ in pompa funebri pronuntiabãt, vel de rebus ad Remp. pertinentibus conſilium dabant, vel ciuium lites in foro & iudicio tractabant: ex qua perſonarum & conſuetudinis ratione facta eſt ciuilium cauſſarum diuiſio.

Ac laudandi vituperandíque rationes.

Perſonæ laudari poſſunt definitione, diuiſione, notatione, coniugatis, genere, forma, ſimilitudine, diſſimilitudine, cauſſis, factis, contrariis, repugnantibus, comparatione parium, maiorum, minorum: nec vllus eſt locus, qui in laudem non poſſit incurrere: & rationes laudis, quæ à Cicerone proponuntur, tantùm pendent ex effectis, adiũctis, & teſtimoniis perſonarum: itaque maior & amplior erit exornationis locus ex generalibus fontibus inuentionis, quàm ex anguſtis & exiguis harum præceptionum riuulis. Elocutionis præcepta nulla noua ponuntur, ſed generalia repetuntur.

Eſt igitur in deliberando, &c.

In deliberatione loci ſunt partim morales, de generibus bonorum: partim Dialectici de cauſſa, & eius generibus. dare autẽ conſilium in Rep. ſuadendo vel diſſuadẽdo hominis equidem eſt excellentis, ſed hic homo multarũ artium homo eſt, non vnius & ſolius Rhetoricæ artis homo: qui quidem ſi Grãmatica, Dialectica, Rhetorica, Philoſophia, & aliis ingenuis artibus inſtructus ad dicendum venerit, formulis iſtis Rhetorum nihil indigebit.

Rectè intelligis.

In tertio genere cauſſarum hæc conſiderantur, cõtentio ante iudicium, vt de accuſatore conſtituendo, de excipiẽda iniquitate actionis, &c. & contentio in iudicio duplex, aut de rè, aut de ſcripto: de re triplex, vel de facto, vel de appellatione facti, vel de qualitate facti: & ad ſingulas cõtrouerſias certi argumentorũ loci referuntur, vt ad primam cauſſæ, adiuncta, teſtes, quæſtiones, ad ſecundã ratio definiendi, ad tertiã iuris & æquitatis deſcriptio: itaque in duabus primis cõtrouerſiis generales loci repetũtur: in tertia morales & ethici explicãtur: neque artes hæ Rhetoricæ ſunt, ſed tantũ formulæ tractãdarũ litium deſcriptæ partim ex dialecticis, partim ex ethicis præceptis. De ſcripto tres cõtrouerſiæ exiſtunt, vel ſi quid ſit ambiguè ſcriptum, vel ſi ſcriptor aliud ſcripſiſſe videatur, aliud ſenſiſſe, vel ſi ſcripta videantur inter ſe eſſe cõtraria: de quibus ſingulis loci in vtranque partem traduntur ſpeciatim, ſed ita tamen, vt facilè intelligas eos generalibus locis cõprehendi, vt cauſſis, cõparationibus, adiunctis, repugnantibus, neque nouã topicæ artis doctrinã demonſtrare. Atque hæc tractandarum litiũ præcepta falſa quidẽ eſſe non dico, ſed cognitis generalibus argumentorũ locis tam inutilia, quàm ſi quis ad generalem Grãmaticorum nominũ etymologiam ſpecialem quandam artem de ſubſtantiuis rerum forenſium nominibus adiungeret.

Expoſitæ ſunt tibi.

Hæc peroratio demonſtrat partitiones iſtas præcipuè ex Dialecticis & Rhetoricis, nonnihil etiam ex moralibus artibus Academicorũ